

FRIDERICVS

EPISCOPVS VVIRTZBURGENSIS.



Fridericus ex nobili familia à Vueinsperg natus est anno circiter millesimo quingentesimo sexto. Hic cum felici ingenio esset præditus, à tenoris annis operam literis dedit, & in patria prima artium & linguarum fundamenta iecit. Postea se se hinc inde ad academias contulit, & Friburgi Brisgaudiae diligenter libris incubuit. Itaq; factum ut eruditionem sibi insignem compararit. Accedebat etiam uitæ puritas, & morum innocentia. Postea se se Vuirtzeburgum contulit, atque inter eius ecclesiæ canonicos receptus, ob uirtutes in magna existimatione fuit. Cum hoc modo perseueraret, atque Melchior Episcopus aduersariorum insidijs succubuisse, Fridericus anno post nativitatem Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo octauo omniū suffragio presul Vuirtzburgensis et dux Ostfranciæ electus fuit. Eam dignitatem adeptus in primis antecessori iusta persoluit, & regale sepulchrum instituit. Inde per totam ditionem pacem recuperavit, atq; ut passim in Ecclesia & politica administratione omnia ritè peragerentur curauit.